

arripere manum, sive eam prima sive ultima suppeditet philosophiæ pars. Unde etiam hæc historiæ philosophicæ ad christianismum, quam commemoravimus, manu-ductio non fuit negligenda.

§. XIII.

*De ejus usu in lectione ecclesiæ scriptorum.*

Idem jam olim cogitarunt veteris ecclesiæ doctores, præcipue illi, qui gentilium superstitioni se opponere miseræque errantium turbæ facem præferre laborarunt. Quæ enim commemoravimus historiæ philosophicæ ad christianismum ducentia argumenta, ea quoque non minima ex parte & iis adhibita in scriptis istorum reperire licet, quamvis nec hoc possim diffiteri: Eos his aliquando non satis sobrie debitaque cum cautela usos fuisse. Interim mihi sufficit quod argumenta adversus gentiles ipsis aliquando suppeditaverit historia philosophica. Adeat, cui volupe est hæc ulterius pervidere, JUSTINUM MARTYREM, ATHENAGORAM, TATIANUM, CLEMENTEM ALEXANDRINUM, MINUCIUM FELICEM, ARNOBIUM, LACTANTIUM, EUSEBIUM, AUGUSTINUM aliosque. Videas etiam ibi aliquando ex historia philosophica argumenta proferri contra pseudo-christianos, qui nunquam animum inducunt emendandi defectus animi, quod tamen tanta cum sollicitudine fecerunt, præpostera licet via, gentilium philosophi, utique hominibus nostris subinde meliores. Hæc cum ipsorum scriptis hinc inde legantur inspersa, facile patet, quod patres, quos vocant, ecclesiæ sine veteris philosophiæ cognitione recte riteque intelligi haud queant: hanc autem docet nostra historia. Cum itaque Theologi solide docti non ultima sit laus probe cognita perspectaque habere veteris ecclesiæ monumenta, inde nova eidem accedit commendatio, quam obiter saltem indicasse sufficiet.

*De usu hist. philos. in interpretatione scripturæ V. T.*

§. XIV.

Attinebant hæc manuductionem ad lumen gratiæ, videamus jam quid ad intelligendum illud faciat nostra historia. Equidem non is sum qui credat, scripturam sacram

cram